



Jacob Meyer

Febris puerperalis epidemica, qualem inter proximum superius decennium deprehendimus : Dissertatio Inauguralis Medica

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXLII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010729969>

Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

ARCHIV

Mejer Dr. Med. 42.

Dupl.

1875

REPORT OF THE

COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE

FOR THE YEAR 1875

ALBANY, N. Y.

1876

W. H. BURNETT, PRINTER.

1875

ALBANY, N. Y.

1876

W. H. BURNETT, PRINTER.

1875

ALBANY, N. Y.

1876

W. H. BURNETT, PRINTER.

1875

ALBANY, N. Y.

1876

W. H. BURNETT, PRINTER.


1875

ALBANY, N. Y.

1876

W. H. BURNETT, PRINTER.

Febris
puerperalis epidemica,
qualem inter proximum superius decennium
deprehendimus.



DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM
ACADEMIA ROSTOCHIENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE
OBSTETRICIA

HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

A U C T O R

JACOBUS MEYER

STAVENHAGENSIS.



ROSTOCHII.

TYPIS ADLERIANIS.


MDCCCXLII.

Roberts
proprietaria epidemica
quosum later proximum agendum decernimus
deprehendimus

DISSEMINATIO
IN AGRICULTURA MEDICA

EXORDIUM DE AGROBILITATE
GRATIUM THEOLOGICUM ORDINIS

AD AGRICULTURAM
AGRICULTURAM
AGRICULTURAM



ALBERTUS NORDSTRÖM

STOCKHOLM

MDCCCLXXIII

STUDIORUM TIROCIINIUM

FRATRI

OPTIMO AC RARISSIMO

IS. L. MEYER

HOCCHE

STUDIORUM TIROCINIUM

PIO GRATOQUE ANIMO

B. D. D.

AUCTOR.

P r a e f a t i o.

Circumspicienti, quid mihi pro more antiquitus consueto ad tractandum suscipere, tanta copia rerum gravissimarum proprius illustrandarum obvenit, ut, quae sunt vires meae exiguae, quid eligerem, nescirem. Jam enim ab initio doctrinae amplificationem aliquam afferre desperavi, quum in medicina „non, ut *Baco* dicit, fingendum aut excogitandum, sed inveniendum sit, quod natura faciat aut ferat“, quod homini propria experientia carenti contingere nequit. Attamen jam illo a tempore, quo clarissimo *Schönlein* duce epidemiam puerperarum perniciosam Berolini anno millesimo octingentesimo quadragesimo a tempore autumnali usque ad tempus vernale anni quadragesimi primi grassantem, maximeque in institutis clinicis saevientem observaveram, accuratius de illo morbo, qui quo saepius descriptus, eo majores definiendi difficultates cepit, investigare mihi proposueram. Quem ad finem quae a viris insignibus, fideque maxime dignis

per proximum superius decennium in ephemeridibus conscripta sint, perscrutatus eo pervenire studui, ut quam clarissimam de illo morbo notionem mihi acquirerem. Jam expleta, quam praeceperam, spe multa — si vel res ipsas ab illis viris allatas, vel dijudicandi sagacitatem respicerem — inveni memoria digna, mihi hucusque nova, sed quemadmodum id, quod volui, absolverim, Tu, lector benevole, pro indulgentia Tua censeas. Non autem necesse mihi videtur, ut benevolentiam Tuam illis modestiae formulis, ab aliis sexcentis allatis, captem, quum sponte Tibi, etsi iis enumerandis non obtuderim aures, in mentem venient, quae velim, ut in iudicio pronuntiando partes meas tueantur. Nos juvaverit, si nostro labore collegis nobis paribus studium rei propius cognoscendae injecerimus.

Series rerum digerendarum.

Invenies hoc in opusculo febris puerperarum epidemias, quales ab illis viris sint descriptae, breviter collatas, quibus antecedit peritonitidis puerperalis adumbratio, illius formae, quae quasi fundamentum est reliquarum, in quo construi possunt (propterea a multis κατ' ἐξοχην Febris puerperalis dicta est). Quodsi quaedam desideraveris, id ei imputes volo, quod mihi aditus ad auctoritates quasdam graviore non patebat. Ad finem progressus adjunctam invenies historiam nonnullorum casuum F. p. sub Schönleinii auspiciis a me observatorum, cum commentariis illius viri pro memoria conscriptis.

Ut ea defendamur, quae hic Febris puerperalis nominantur, addenda videntur, quae eo nomine intelligi voluimus. Scriptores enim de nominis significatione maxime dissentiunt, ut alter quae appellet, alter respuat. Nos quidem auctores gravissimos sequentes omnem morbum febrilem, qui puerperas corripit, ita dicemus, quando quidem propriis conditionibus, in quibus puerpera

versatur, quasi est excitatus. Nos enim non fugit, omne corporis malum non tantum pro natura et indole, sed etiam pro aetate affecti, pro evolutione continua, et (quam *Schönlein* apte dicit) cyclica peculiare accipere formas. Ergo illud experientia diurna probatum transferemus ad finem nostrum, et, ut supra diximus puerperio mala propria atque febrilia hic tractabimus. Sunt enim mala propria, etsi concedimus, morborum nomina eadem esse, quae alios homines (puerperio non subjectos) afficere possint; attamen nunquam proprio illo decursu et exitu, qui individuo, ut ita dicam, minimum concedit, si genio morbi favente forma emergit epidemica.

Liceat hoc loco repetere rationes peculiare, in quibus puerpera versetur, quibusque morbo „sui generis“ fenestra, ut ita dicam, aperiatur. Puerperio natura utitur tempore, gravitate peracta, statum mulieris sanum et communem antecedenti, quo mutationes organorum et sanguinis inter graviditatem ad finem proprium factas tollat et aequet. Dum igitur secretionibus adhibitis materies non amplius utiles removentur praeterea nova secretio, fons infantis nutritius, praeparatur. Est autem in graviditate vis reproductiva prominens, et turgescencia plastica ad uterum omniaque organa

abdominalia directa, quae in puerperio, ni turbatur, in organismum distribuitur, uterusque ad eum quam maxime, quo antea erat, statum restituitur. Quibus concessis duo jam a priori licet praedicere, primum: illam vim plasticam, ni reducatur, intendere ad inflammationes; deinde: organa in priorem statum restituenda inprimis effici. Experientia utrique assentit, quod et ex illis apparet, quae hic adjecimus.

Haec ac nostrum finem satis faciant, quum monographiam conscribendi locus non sit concessus, eademque causa aetiologiam morbi non a nobis exspectari velimus, praesertim quum illa raro omnino perspicua in nostro conjecturis non ab omnibus partibus absolutis, saepe facile refutandis aequo magis laboret.

Peritonitidis puerperalis descriptio.

Ut certo initio exordiamur, neque eadem sapius repetendo defatigemur, jam peritonitidem puerperalem breviter describemus. Cur superioribus temporibus illa peritonitis unicus morbus puerperalis sit habitus, facile intellexeris, si reputaveris, signa et in caeteris affectionibus puerperii fere esse eadem, nec vix ulla alia re, nisi

accuratiore nostrorum temporum exploratione corporum mortuorum dignosci posse, quae quidem res et nos impulit, ut antequam propius ad propositum nostrum accedamus, illam praecoccuparemus. Recte nobis igitur *Strother* nomen „Febris puerperalis“ invenisse videtur, quo significatur, medicinam factitantibus magis ad febris naturam, quam ad affectionem localem esse respiciendum, curamque eo dirigendum. Attamen negari non potest, nomen illud morbo accuratius investigando magis nocere, quam prodesse, quum febris, quam morbi umbram *P. Frank* dicit, reflexus, ut ita dicam, existat mali localis aut sanguinis conditionum, ergo non ipsam naturam, sed symptoma designet. Cognovimus igitur, peritonitidem quidem esse frequentissimam organorum abdominalium in morbo puerperali affectionem, sed jam *Frank* ¹⁾ de sede inflammationis „uterum quidem vix non semper ab inflammatione liberum, inquit, conspeximus, frequentius vero in tubis ovariisque livor apparuit. Nec tamen ubique proliferum viscus a superficiali incendio liberrimum inventum est. Intestinorum vero, omenti, peritonaci vix non quovis in casu inflammatio, tum ab aliis, tum a nobis adnotata est. Ut plurimum totum

1) De curandis hominum morbis, §. 217.

hujus velamenti fornicem, quo loco dolor urgebat, evidenti inflammatione correptum offendimus; ex quibus omnibus, pergit ille vir, concludimus: locum quidem ac viscus non esse, ad quae hoc in morbo inflammatio constanter detegatur, sed tamen hanc ipsam nunquam non adesse, ac frequentissime vel in ipso peritonaeo, vel in ejusdem appendicibus, quousque extenduntur, reperiri.“ Haec *P. Frank* assert, quibus elucet, res maximi momenti, illius morbi complicationes virum, nostra laude majorem, non fugisse: nobis addenda restat inflammatio venarum, atrox illa metrophlebitis puerperalis, quae vel per se, vel cum caeteris conjuncta nostris temporibus reperta est.

Quum ut supra diximus, febrem maximi habeamus momenti, in formis morbi destinandis febrem solam respicimus, atque sequimur *Schönlein* qui quatuor recipit formas: simplicem, quam etiam erethicam nominat, synochalem, biliosam, torpidam.

Signa omnibus formis communia.

Jam antea interdum per ultimas graviditatis hebdomades morbus prodromis indicatur. Sunt: dolores in abdomine magis minusve continui,

saepissime in dextro latere (siquidem phlebitis ejusdem plexus venarum pampiniformis imminet) stringentes cursum ligamenti uteri rotundi versus labium pudendi respondens sequentes, qui neque sudoriferis, neque antispasmodicis remediis fugantur, incessum impediunt, neque raro abortum provocant. In epidemiis factum est, ut statim post partum editum, saepissime vero tertio die (quo die et febris lactea expectatur) existat dolor acutissimus, secans, urens, qui e regione umbilicali oriens totum mox occupat abdomen. Interdum prioribus horis dolor intermittit, mox continuus remittit tantum. Abdomen simul intumescit, tenditur, neque tactum cautissimum tolerat.

F e b r i s.

a) *F*orma *e*rethica.

Affectio localis semper feбри conjuncta, quae non raro illi antecedit, quae non raro illi antecedit, quapropter febris puerperae semper summam postulat diligentiam. Primum apparent signa febris prodroma: lassitudo, dolor articulorum, donec horror et frigus vehemens abdominis cum dolore accedit. (*Lee* attamen ita esse interdum febrem exiguam commemorat, ut possit effu-

gere observationem). Calor sequitur inter primas viginti quatuor horas saepe alternans, easque dum continuo perseverat. Pulsus concitatus, celer; cutis calida, arida; urina rubicunda. Secretio mammarum et abdominis genitalium non turbatur. Tempore matutino signa omnia remittunt acerbitate.

b) Forma inflammatoria.

Localis affectio: Dolores inde ab initio acerrimi, continuo abdomen occupantes, quod durum et tensus se praebet. Genitalia turgescunt, calida sunt et dolent; secretio diminuta mox cessat. **Febris:** Algorem calor incredibilis sequitur; pulsus durus, tensus, neque comprimi potest; cutis calida, turgescens; urina rubra, ardens; alvus obstipata.

c) Forma erysipelatosa seu gastrico biliosa.

Dolor et abdominalis et colicus, qui semper adest remittit nonnunquam, saepe intermittit. Abdomen tumefactum satis molle. Signa interdum erysipelatosa in genitalibus et pectoris et abdominis. In regione frontali dolor vehemens, premens; lingua muco gastrico opperta; sapor amarus, ructus, vomituritio usque ad vomitum; non raro tres vel quatuor sedes biliosae; urina

erysipelatosi. Pulsus irritatus, frequens, sed mollis, quamquam plenus, undosus, ictus 130 — 140 sexagesima horae parte. Quam quidem formam *P. Frank* mere consensu provocatam ducit, etsi materiae saburrales deficiunt.

d) Forma typhosa.

Aut initio existit, aut ex caeteris praecipue ex antecedenti prodit. Sponte si oritur duo distinguuntur stadia: alterum irritationis, alterum nervosum.

Stad. I. Dolor urens, uno loco emergens alvum et regionem sacralem occupat. Abdomen tumidum, tensum tactui redolet. Genitalia collapsa, mammae sunt laxae, lactis secretio immixta mox cessat. Etiam pelvis genitalia collabuntur, lochia cessant, (ni forte putrescentia uteri accesserit). Sensus communis jam ab initio maxime turbatus; caput oppressum, cephalalgia vehementissima. Stadium per unum, duos vel tres dies durat.

Stad. II. Alvus magis magisque intumescit, meteoristicae vel tympaniticae tensa, dolor continuus nervorum splanchnicorum sequitur tractum. Caput occupatum, sopor, mox deliria muscantia aut tempore exacerbationis, vespero tantum, aut continuo terent. Cutis calore mordaci, tur-

gore vitali fere nullo, aut aspera et arida, petechias praedicans, aut deliquescens sudore, qui miliariam praeparat. Miliaria est alba, in alvo primum crumpens, vesicis sine halonibus composita. Pulsus parvus, debilis, filiformis, frequentia crescit. Lingua muco bruneo opperta, arida. Sedes putridae mox aegrota inscia redduntur.

Hancee formarum descriptionem eo libentius accepimus, quod et observationibus sub *Schönleinii* auspiciis, viri illius doctissimi maximeque venerandi, factis maxime congruit. At neminem quidem esse, doctrina medica proprius imbutum, qui meram talem, quam descripsimus, formam se reperturum speret, vix est, quod commemoremus. Nam *praeceptoris* est, rem dividere, ut perspicua reddatur: *natura* nullis cogitur scholarum praeceptis. Nunc vero accedamus ad observationes de epidemiis febris puerperalis inter proximum superius decennium hic collatas.

Jam anno 1830 *Haase* ¹⁾ in annalibus de instituto regio obstetricio academiae Dresedensis morbum commemorat puerperalem epidemicum, inde ab Aprili medio usque ad Julium medium grassantem, quo miasma perniciosum ortum in-

1) Vide: Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde von Busch, Mende und Ritgen. 1832. 7r Band.

stituto clinico clauso tandem sopiri poterat. Idem morbus denuo emersit anno 1831 eodemque impetu saevivit. Accuratiore hic addere non licet, nam *Haase* nobis nihil aliud refert, quam ipsam rem. De sectionibus breviter loquitur, repertumque addit: inflammationem venarum et suppurationem, ex quibus epidemiae a nobis observatae similis videtur.

Cruveilhier ¹⁾ qui anno 1830 medici officia in instituto clinico obstetricio Lutetiis Parisiorum, quod vocant „maternité“ suscepit in societate anatomica de aetiologia febris puerperalis legit, quae tum in ephemeridibus medicis prelo subiecit. Dissertatio, ut inscriptio indicat, statuit febris puerperalis causas, quibus illud noscocomium nunquam vacat. Numerus mortuarum summus fuit anno 1829 una inter decem aegrotas abrepta, quod quidem perniciosum, attamen non eo pervenit, quo alias observatur. Miasma hic semper oriri, si institutum supra modum est confertum, quod propter magnitudinem instituti saepius evenit. Observatur semper forma Peritonitidis, a *Cruveilhier* propter contagium typhus

1) Vide: Quelle est la cause du typhus puerperal, qui vient de régner à la maternité d'accouchement pendant les mois de Decembre 1830. Janvier, Fevrier et Mars 1831. — *Revue medical* 1831. p. 169.

puerperalis dictus, ac pro ejus sententia quot annis eodem modo animadversus est. Non ideo autem, ut ille vir, causam dictam solam accipiamus, sed consentiamus magis *d'Outrepontis* qui illa medici Francogallici dicta commentariis ornat, quos invenies in „gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtshülfe von *Busch, Mende, Ritgen*, 7r Band, 4s Heft.“

*Ritgen*¹⁾ Giessae commemorat epidemiam, quae ab Julio 1830 usque ad annum 1831 perseveravit. Febris hac in epidemia erat nervosa: Caput obtusum, grave, deliria: lingua sicca; pulsus celer, frequens parvus, facile comprimendus, innumerabilis; diarrhoeae profusae etc. Causa morbi illa videtur, quam *Helm* in monographia mechanicam nominat, quum ulcerationes appaerent in portione vaginali, (quae, ut postea demonstrabimus, nostris in observationibus raro non reperiuntur) quarum originem uberius ille vir describit, nobis ad referendum locus non sufficit. Exstiterere quidem omnino ex pustulis aut sponte, aut in locis inter partum vulneratis, fissuris portionis uteri vaginalis, frenulo labiorum pudendi rupto etc. Causam ulcerum auctor ducit contagium, vulnere a gangraena nosoco-

1) Vide: Gemeinsame deutsche Zeitschrift etc. 1832. 7r Bd. 3s Heft: Untersuchungen über das Kindbettfieber.

miali correptorum simile, quo cum Schönlein consentire videtur, qui *Bartelsio* auctore ¹⁾, similem sententiam in colloquio pronuntiavit. *Ritgen* omnino copiosius et accuratius de febre puerperali illo loco loquitur, atque affert historias aegrotarum summa attentione dignas. *Dr. A. Bartels* morbum puerperalem definit omnem morbum turbatis puerperii functionibus provocatum, ideoque ad depositiones metastaticas tendentem. *Observationes* ejus *Vindobonae 1833* factas ²⁾ insignes sunt nova forma morbi relata. Nam quum alias non raro factum sit, ut abscessus aliqua in parte corporis externa orti morbum minus reddant noxium, et quasi finiant, his in casibus abscessus constituere morbum, dum interna organa integra remanserunt. Affectio localis primum speciem praebet *Erysipelatis nascentis*, atque oritur prima puerperii hebdomade inter diem secundum et octavum post partum, rarius secundae hebdomadis exitu. *Locus*, — quem corripit saepissime labium pudendi majus, internum femoris latum aut regio est sacralis — affectus gravissimos dolores excitat, calore mordet, turgescit, initio pallido, deinde eximio rubore ardescit. Differt ab erysipelate

1) Vide: Neue Zeitschrift etc. 1836. 4r Band. p. 86.

2) Vide: Neue Zeitschrift für Geburtskunde von Busch, d'Outrepont u. Ritgen. 4r Band. Jahrg. 1836.

decursu exanthematico, huic proprio, a pseudo-crysipectate natura metastatica, quum interdum loco prius affecto relicto alium, imo organum internum occupet. Speciem erysipectatis omnino raro ultra horas nonnullas praebet, mox vero lobuli cutis parvi, angulati defricantur, fossulasque magnitudine fabae, marginibus crenatis, praeseisis efficiunt, quarum in fundo tela cellulosa necrotica conspicitur. Rarius pustulae parvae, flavae illas relinquunt ruptae fossulas, ulceribus venericis similes. Marginibus paulatim magis contritis intervalla evanescent, atque ulcera nascuntur magna orbicularia quidem, ni forte structura partis affectae impediatur. Pus prius secretum illo gangraenae nosocomialis simillimum aëri expositum indurescit, postea sanies e fundo putrido, granulationibus carenti secernitur serosa, corrodens, odorem lochiorum malignorum spargens. Margines occalescent, replicantur et ulcera efficiunt in calicis formam redacta. Locus adnexus serose tumefactus ruborem perdit, margines tandem lividi apparent. Interdum inflammatio gangraenam provocat. Dolor tum vix tolerabilis, color fuscus, mox niger, vesicae gangraenosae existunt, et cuti remota illud ulcerus puerperale conspicitur. Febris conjuncta initio et saepissime natura est subinflammatoria, raro adynamica, usque ad sup-

purationem exacerbescit, tum paululum remittit, versus diem septimum, decimum quartum, vicesimum primum, functionibus puerperii restitutis, tandem desinit. Tum quoque ulcera simplicia redduntur, sed nihilo minus difficile sanantur. Memoratu digna mihi etiam videtur observatio de contagio illorum ulcerum, quum usu ejusdem spongiae ad lavandum in alias puerperas transferri posse, constet.

Dr. *Eduard Martin* febrem puerperalem nominat omnem morbum febrilem inter lactationis tempus ad insuete deponendam vel secernendam lactis tendentem materiem, — id est illam plasticam sanguinis materiem, quae lacti secernendo est idonea quocunque in organo aut systemati collocata sit. Quibus praemissis formam describit Vindobonae in semestri primo anni 1834 observatam ¹⁾, quae nobis nervosa dici haud inepte videtur, nam inter symptomata, quorum mentionem facit maximi sunt momenti: Lingua muco albido opperta pulsus parvus, frequens, irritatus (raro plenus atque durus); cutis nunc arida, laxa, nunc sudore superfusa. Insignis jam apparet habitus et vultus, qui non dolorem, sed turbatam gangliorum energiam prodit etc. **Obser-**

1) Vide: Neue Zeitschrift für Geburtskunde etc. 2r Band. Jahrg. 1835.

vavit etiam initio deliria furibunda, aut convulsiones, quae, februm intermittentium instar, medico verum morbum non diu dissimularunt. Diarrhoeas morbo decurrente, ni initio aderant, nunquam non vidit (saepe conjunctas incredibili copia mucii aquosi) quibus interdum vomituritio perpetua atque vomitur rerum herbacearum accessit. Quibus quidem jam ab aliis notatis addit haemorrhagias repentinas, quae vires conterunt. Enumerat quoque excoriaciones mammae et genitalium externorum, sed non inter prima mali signa. In sectionibus insignia praeter illa, quae jam ab aliis inventa sunt, imprimis sedem inflammationis vidit circa hepar (anteceperunt signa?) et genitalia, atque etiam inter intestinorum flexuras et ventris parietem. Intestina praeterea aëre inflata, marcida, tunicae mucosae glandulae tumefactae erant hic atque illuc eam speciem pro se ferentes, quam Francogallici „plâques“ dicunt. Tunicam serosam a musculari facile abripuit, et telam cellulosa inter hanc et mucosam humore seroso, gelatinoso refertam invenit. In renibus interdum mutationes illas notas, quibus et hic morbi focus apparet. Materiem puriformem, ex viridi pallentem vidit non raro in tela cellulosa extremarum corporis partium, aut circa tendinum vaginas et periostium (ut sub M. deltoideo glu-

teo, in antibrachio, dorso pedis, circa malleolos, aut venas inflammatas et suppurationem minantes) in primis in femore et crure.

De aëris temperie auctor certiores nos non fecit: omnino numerus aegrotarum crevit coelo pro anni tempore tepidiore, humidiores, ortus erat morbus Januario exeunte, initio Februarii et Maji. Prima causa accusata est laesio mechanica: ruptura vaginae, os uteri contusum etc.

Genio epidemico regnante bilioso Dr. *Kehrer* Guntersblumiensis anno 1834 formam erysipelatosam observavit ¹⁾. Orta est iisdem conditionibus, quibus Erysipelas semper oritur: Calor magnus tempore aestivo, quem secutus aër pro hiberno tempore mitis, flentibus ventis Africo et lauro, quibus inundationes Rheni fluvii accesserunt, aëremque humidiores reddiderunt.

Febres biliosae tum maxime omnibusque in formis viguere, nec mirandum, etiam gravidas et puerperas ab illa constitutione correptas esse. In gravidis, ni sublatum esset, facile abortum provocavit, in puerperis propter intentionem morbosam febrili puerperali favuit. Jam in parturitionem interdum vim exercuisse videtur, quum haemorrhagiae tum consueto essent frequentiores.

1) Vide: Einige Bemerkungen über das gallige Kindbetteinfieber. Neue Zeitschrift etc. 1836. 3r Band.

In puerperio, etsi morbus proprius non apparuit, secretiones turbatae praecipue lactis et lochiorum, qui certe imminuebantur. Cognovit et hanc formam perniciosissimam, brevi tempore ad fastigium provectam, et repentina morte finitam. In dissectionibus, ut jam praedici licebat, saepissime vidit inflammationes hepatis et lienis.

Michaëlis 1) in descriptione febris puerperalis qualis in xenodochio grassabat, nobis minus morbum tradere, quam glaciem contra impetum illius commendare vult. Morbus quidem aequè perniciosus atque aliis in locis videtur; formam ejus auctor eandem nominat, quam *Busch* commemoravit, ergo erat inflammatoria, quamquam in antiphlogisticae curae ratione salus non erat ponenda. Confirmat quoque *Buschii* sententiam de exitu morbi mortali, qui eo certius evenit, quo celerius post partum febris apparet. Vir ille antea morbum in urbe passim observaverat, qui clinicum obstetricium invasit, postquam unam puerperam correperat, quod in duobus annis repetitum est, ex quo constitutionem anni jure accusat, cui sine dubio contagium accessit. Dissectio

1) Vide: Puerperalfieber, wie es im Gebäuhause zu Kiel herrschte vom September 1834 bis März 1835 und im Winter 1835—36. — Neue Zeitschrift etc. Bd. 4. 1836.

mortuarum ostendit saepe ovarium et plexum pampiniformem sedem morbi.

Quadratus nobis dissertatione inaugurali, qua, (quod vehementer dolco) uti non potui, epidemiam tradidit, quae inde a medio anno 1833 usque ad extremum Majum 1835 in nosocomio Pragensi maximo impetu grassata est, ita ut a centenis aegrotis octonae interirent. Hic formas quasdam ejus morbi metastaticas, quas postea ¹⁾, *Bartelsii* descriptione, de qua supra videas, incitatus, conscripsit, perlustremus. Quas quidem formas, genio morbi pro Quadrati sententia regnante erysipelatoso seu gastrico bilioso, metastases nunc completas, nunc incompletas, in telam musculorum cellulosa aut in cutem externam nominat, quarumque tres distinguit 1) Abscessus puerperales; 2) Ulcera puerperalia; 3) Pseudo-Erysipelata cutis externa maligna.

1) Abscessus, exsudatione puerperali orti in musculo psoa, in femoribus, cruribus aut in antibrachiis, rarissime in regione sacrali collocati erant; non minus erant rari in majoribus pudendi labiis. Qui quidem abscessus saepissime in Decembri anni 1834 et in Februario et Martio a. 1835 observati bonam concedebant pro-

1) Vide: Oesterreichische medicinische Jahrbücher. Band 13. Seite 1. 1837.

gnosin, si tempore crisis obnoxio orti vires non vehementissime contriverant.

2) Ulcera a *Bartelsio* descripta: Quadratus in xenodochio occupatus saepe, sed in majoribus minoribusve pudendorum labiis vidit. Ulcera non oriente morbo sed in ejus fastigio emergere, et verae erant morbi crises, qui ulceribus eruptis mitigatus saepe felicem habebat exitum.

3) Tertiam formam Quadratus saepissime, sed funesto exitu vidit. Etiam Pseudo-Erysipelas in partibus corporis extremis imprimis prope articulos ortum nisum naturae criticum ducit, quod semper ante aut post dies criticos formatum saepe simul cum febre emerit, antequam peritonaei aut tunicae intestinorum affectio erat investigata. In manibus aut pedibus primum maculae parvae rubrae ortae mox in ulcera conversae, postea e rubro nigricantia et livida raro rursus evanere. Abdominis inflammatio semper minoris erat momenti, sed mox exsudationem et febrem typhosam provocavit. Exitus mortalis quarto vel sexto maxime die nullo remedio evitari potuit. In dissectione exsudatio puerperalis in cavo abdominis, saepius phlebitis reperta. In cute affecta prope articulos infiltrationes serosae telae cellulosae pure mixtae interdum cernebantur.

Adelmann Fuldensis ¹⁾ nova observatione auxit medicorum observationes. Antecesserunt anno 1835 indicia status inflammatorii, quae initio anni 1836 febris puerperalis epidemica in xenodochio secuta est. In urbe ipsa et regione adjacenti nulla genii neuroparalytici (ut auctor dicit) vestigia inventa sunt, epidemia erat in instituto localis (endemia). Orta est ex mechanica uteri laesione, partu difficili medici ope peracto, quam originem *Helm* ²⁾ non ita rarum demonstravit, in quo mirum tantum uterum interdum summam vim sine periculo, alio tempore ne minimam quidem tolerare, ni maxima mala inde oriantur, quod nisi genio epidemico et statu parturientis virium vitalium vario explicari nequit. Febris natura erat torpida, quod quum ex signis elucet, tum ipse auctor notat in tribus iis casibus, quos ad epidemiam propius illustrandam addidit. Novi nihil in iis reperies, nisi illud memoria dignum, quod in primo casu signa phlebitidis uterinae completa, dolor alterius lateris, algores sese repetentes, febris maxime nervosa etc. attamen in dissectione nulla nec in venis, nec in corpore

1) Vide: *Adelmann*, Bericht über die Ereignisse der Gebä- und Hebammen-Lehranstalt zu Fulda. Neue Zeitschrift etc. 8r Band. 1840.

2) Vide: Monographie der Puerperalkrankheiten von *Th. Helm*. Zürich 1840. *Ibique* §. 32. p. 59.

omnino mutatio morbosa inventa est. Nam quod de tunica uteri interna dicitur, non tam perspicuum est, ut putrescentia uteri eo judicari possit. Sed exploratio an accuratius sit post mortem instituta, eo magis dubitandum, quam novae anatomiae pathologicae inquisitiones febris spectra illa veterum medicorum sine materie magis magisque oppugnarint, et maximae partis originem luce clarius demonstrarint.

d'Outrepont ¹⁾ diversam a plerisque epidemiis originem morbi primum passim in urbe et regione adjacenti adnotat anno 1838. Morbi genius erat nervosus, et quamquam mensi Septembri et Octobri institutum obstetricium majore, quam consueverat, puerperarum numero erat refertum, tamen Octobri exeunte demum hic prorupit; quod auctor suo jure cautelis prudenter adhibitis adscribit. Morbo abreptae sunt ex decem aegrotis quatuor, erat ergo inter vehementissimos. Formam induit peritonitidis, metritidis putrescentiae uteri, cui interdum phlegmatia alba dolens accessit. Inter causas morbi suspicandas partui pro se nil tribuendum, affectae contra erant debiles, partim, male nutritae, rebus adversis de-

1) Vide: Uebersicht der Vorfälle in der Entbindungsanstalt zu Würzburg im Jahre 1835. Neue Zeitschr. etc. 5r Bd.

pressae. Febris natura inflammatoria initio, mox gastrica et torpida reddita est quo constitutione illius temporis stationali. Fugatus morbus tum demum est, quum illa aedium pars, in qua puerperae correptae erant, depurata et fere detersa esset. In urbe mense Novembri ejusdem anni Febris puerperalis remansit, quam *d'Outrepont* ad summum fastigium provectam esse narrat: puerperas enim a primis diebus exsudationibus in cavo abdominis interfecit.

Anno quoque 1837 et 38 novum Febris puerperalis impetum in instituto obstetricio *d'Outrepont* ¹⁾, atque quidam duos casus Januario a. 1837, alterum peritonitidis, alterum phlebitidis, Junio demum forma epidemica emergere vidit. Quatuor tum puerperae eodem tempore in conclavibus separatis correptae sunt, quarum una decessit, quae jam antea multa perpessa erat, cujusque graviditas placenta praevia — haemorrhagiis scilicet ex falsa illa sede ortis — maximo minabatur periculo. In dissectione quatuor dies post puerperae mortem instituta praeter exsudationem in sacco pleurae utroque serosam etiam in uteri venis pus inventum, quamquam signa in-

1) Vide: Bericht über die Vorfälle in der Entbindungsanstalt zu Würzburg im Jahre 1837—38. Neue Zeitschrift etc. 8r Band.

flammationis, dolor et abdomen intensum per vitam cognosci non potuerant. Cautelis de quibus supra diximus, adhibitis *d'Outrepont* id assequi poterat, ut morbus nunquam progredereetur, tantum passim prorumperet, quo factum est, ut omnino inter duos illos annos 25 a febre correptae novem abreptae sint. Febris natura, quantum e cura elucet, inflammatoria fuisse videtur. Metastases in cutem externam et telam musculorum bis, lamina vitrea ¹⁾ cavi cranii serose emollita bis sunt observatae.

Charles Sidey ²⁾ refert nobis morbi casus qui annum 1837 formidabilem reddidere, genio morbi erysipelatoso, ex quibus audacter naturam febris puerperalis nihil nisi inflammationem erysipelatosam tegumenti peritonealis organorum pelvis existimat, quae morbo in cavum abdominis propagato etiam uterum corripit. Attamen hoc concesso, quod auctor sententiae tuendae causa profert, morbum genio erysipelatoso esse frequentem (etiam *P. Frank* id affirmat), ex una epidemia iudicium de morbo omnino promulgare non licet. Simili praeiudicio fieri poterat, ut auctorum sententiae de eadem re tam diversae

1) Confer. *Rokitanski* de hac mutatione morbosa. *Med. chir. Zeitung.* Jahrg. 38. Bd. 3. Seite 107.

2) Vide: *Edinburgh medical and surgical Journ.* 1839. p. 71.

venditarentur, quum a singulis ratione observatio-
 num a se factarum sola habita publice proderentur.
 In dissectionibus *Siday* peritonaeum quidem
 solum affectum invenit, quod ejus sententiam
 defendere non potest, quum non in omnibus
 casibus exploratio post mortem ei pateret, ab
 aliis autem alia organa sexcenties affecta perito-
 naeo integro inventa sunt. Memoria maxime
 sunt digna, quae de contagio Erysipelatis refert,
 ex quibus apparet non solum scarlatinam, for-
 mam erysipelatosam summam, sed etiam alias,
 imprimis illam puerperio adjunctam contagii sus-
 picione non vacare. Casus enim nobis narrat
 non paucos, in quibus homines puerperarum cura
 occupatos, aut cum iis versatos a vehementissi-
 mis inflammationibus erysipelatosi imprimis respi-
 rationis organorum corripiebantur, quod, ut jam
 diximus saepius observavit, quam ut forte tan-
 tum accidisse judicares.

De epidemia Febris puerperalis, quae nuper
 Berolini grassata est, prout ipse scio, neque a
Buschio in annalibus instituti obstetricii est rela-
 tum, neque *Ebert*, instituti medicus secundarius,
 se rem accuratius tractaturum spei, quam nobis
 injecerat, satisfecit. De origine illius morbi et
 prima observatione nulla fere alia nobis auctori-

tas, nisi dissertatio inauguralis a *M. Jonas*¹⁾,
 medicinae et chirurgiae candidato, conscripta
 data est.

Aestas anni 1840 insignis erat calore eximio,
 jam primis anni mensibus orto, qui ad autum-
 num usque durabat, dum Jupiter pluvius impe-
 rium nactus hieme imminente cessavit. Vigebant
 tum febres et inflammationes typhosae, et mis-
 rorum hominum permagnum numerum in orcum
 deducebant. Frigore tandem incidente genus
 morbi speciem assumpsit inflammatoriam, quam
 per illas historias a *Jona* relatas persequi pos-
 sumus, quum febris initio typhosa, sensim mu-
 tata, postremo mere inflammatoria facta ita, ut
 a curae antiphlogisticae ratione salus sola esset
 exspectanda. Originem ejus morbi obiter nobis
 narrat *Ebert* in recensendo libello *Kiwischii*²⁾.
 Exstitit mense Septembri, quum aditus aurae
 salubris ad conclavia puerperio destinata propter
 frequentiam minus, quam oportebat, concedere-
 tur. Forma quidem erat metrophlebitidis, cui a
 decem miseris novem succubuere. Tum institu-
 tum clausum est, mulieres gravidae, quae ibi

1) De Phlebitide uterina, quae autumnis 1840 in instituto ob-
 stetricio regio observata est. Diss. inaugural. etc. quam
 publica defendit M. Jonas. Berolini die X mens. Febr.
 1841.

2) Vide: Neue Zeitschrift etc. Bd. 10. p. 386.

erant, dimissae, aspirantes non receptae sunt. Cubicula et omnia quibus aegrotae utebantur, penitus quasi expiata sunt. In urbe passim aliquo tempore post morbus emersit, quae autem erant dimissae gravidae a pestilentia intactae remansere. Quatuor hebdomadibus post instituto regio rursus aperto, quot ibi enixae graviore morbo non sunt affectae, quum in urbe adhuc aegrotarum casus et in instituto obstetricio nosocomii caritatis primi observarentur, quorum quosdam hic propius illustrabimus. Observationum vero in instituto obstetricio regio factarum multo major est varietas, nam omnes fere affectiones, ab aliis relatae, ibi apparuere. Exsudationes nempe in cerebro, abscessus pulmonum, in musculis extremarum corporis partium, putrescentia uteri etc. non defecere. Praevalebat vero copia casuum, in quibus illa forma reperiebatur, de qua nunc nobis disserendum restat.

Aegrotarum historiae quinque.

I. Primus casus die septimo menses Januarii a. 1841 morbo jam satis progressu auditurum Schönleinii observationibus traditus est.

Aegrota (*W. Berger*) die 27 mens. Decbr. a. 1839 partum ediderat difficilem, in quo for-

cipis obstetriciae usu uterus laesus, extensus supra symphysin ossium pubis dolores excitavit. Mox et interna uteri tunica mucosa affecta apparebat, quum sanies putrida e genitalibus internis lochiorum loco efflueret, quam ab ulceribus prope orificium uteri externum ortam vagina explorata ostendit. Schönleini in curam (jam a die tertio Januarii) recepta pridie rheumatismus humeri in articulo accesserat, qui pro sensu aegrotae cor quoque occupaverat, et sudore profuso miliariam minitabatur; simul aderat diarrhoea vehementis.

Praescribentur remedia jam antea adhibita. Infusum Chamomillae cum aqua oxymuriatica ad injectionem in vaginam faciendam.

Interne:

℞ Decocti Althaeae ℥vj.

Aquae oxymuriatic.

Syr. spl. \overline{aa} ℥j.

M. S. Omni bihorio cochlear unum.

Die octavo Januarii.

Genitalium affectio diminuta, uterus ad normam fere reductus, nec dolet, nec saniem effundit. Rheumatismus dolet quidem, sed sine rubore et sine tumore est. In corde strepitus follicularis non auditur. Pulsus 120 horae parte sexa-

gesima iet., satis plenus et fortis; lingua autem sicca; diarrhoea persistit. Caput et pectus sudore profuso operta; cutis omnino mollis sed non humida.

Dentur eadem.

Die nono Januarii.

Dolor uteri non rediit, sed fluor genitalium adest, et in dextro vaginae latere novum ulcus exstitit. Affectio rheumatica evanescit. Febris ut pridie; sudor aliquanto cessit.

In vaginam linteola carpta aqua injicienda imbuta ferantur. Supra symphysin Linimentum volatile cum Tr. Opii infricetur.

Die undecimo Januarii.

Rheumatismo et affectione cordis vesperum versus heri valde auctis venaesectio et vesicatorium in regionem cordis adhibita sunt. Nunc affectio articulorum moderata; cutis non tam calida, pulsus 120 iet. sexages. horae parte, tensus, duriusculus. In lingua epithelium detritum; sedes duae. Genitalium idem status quo pridie. Abdomen non valde tumefactum.

Frictiones Unguenti Hydrarg. cinerei repetantur. In genitalia injectiones eadem. Clystere amyllum cum pauxillo Opii infundatur.

Interne :

℞ Infusi Digital. (℞) ℥iv.

Extr. Aconiti ℞℥.

Mucilag. Salep.

Syr. spl. āā ℥j.

M. S. Omni bihorio cochlear unum.

Die duodecimo Januarii.

Fluor e genitalibus imminutus; vagina non ita ardet, sed saniem adhuc profundit. Aderat sanguinis stillatio, quae vix ex utero secreta du-cenda est. Articulorum affectio non vehemens; cordis ictus moderatior. In pulmonibus contra rhonchus siccus, sibilans, respiratio brevis et laboriosa, tussis adest, quae sputum atrum mu-cosum profert. Febris indies torpidam formam induit. Pulsus mollis, celer, contractus. Lingua sicca, aphthosa. Sedes duae.

In pectore cucurbitae applicentur. Colluto-rium aqua oxymuriatica et borace compositum.

Die decimo tertio Januarii.

Morbus magis magisque in pejorem partem versus mortem imminentem praedicat. Diarrhoea profusa; respiratio cucurbitis vix paululo levata. Pulsus parvus et frequens, extremae corporis partes fere frigidae. Genitalium fluor sanguino-lentus.

℞ Infusi Senegae (℥℔) ℥iv.

Elix. pectoral. ℥ij.

Syr. Althaeae ℥j.

M. S. Omni bihorio cochlear unum.

Vespero aegrota decessit: in dissectione vasa lymphatica uteri pure impleta sunt inventa.

II. *Historia morbi.*

Wilhelmine Hartmann annum agens vicesimum septimum.

Die vicesimo Januarii.

Quinque ante dies secundo partu infantem octo mensium facile ediderat, sed jam 36 horas inde supra symphysin dolor urens, continuus secutus, et abdomen intumuit, quamobrem duae venaesectiones institutae sunt. Hesterno die abdomen tumidius, mollius, uterus satis contractus, tactus in fundo et latere, praecipue dextrorsum valde dolens. Fluor saniosus, putridus in exploratione originem circa orificium uteri externum excoriationes ostendit. Pulsus 100 sexages. horae parte ict., plenus et tensus, cutis sicca, calida. Heri adhibita: venaesectio ℥vij, in loco affecto hirudines, fomenta.

Hodie dolor tolerabilis, sed levissimo uteri in latere dextro tactu fit acerrimus, ubi phlebitis adesse censi potest. Uterus contractus in fundo non dolet; febris moderata; pulsus duriusculus;

cutis mollis; lingua mucosa operata; sitis vehemens.
Urina satis copiosa morbi signum nullum addit.

Praescribuntur: Frictiones Unguenti Hg. cin.
Fomenta in loco affecto. **Diaeta** cauta, antiphlogistica. **Injectiones** supra dicta caute adhibita, ne in uterum transeant (quum per tubas in cavum abdominis pervenire possint). In vaginam linteola carpta aqua injicienda imbuta.

Interne:

℞ Emulsion. oleosi ℥v.

Aqua amygdal. amar. concentr. ℥ij.

Sacchari ℥℞.

M. S. Omni hora cochlear unum.

Die vicesimo primo Januarii.

Phlebitis sane existit, quam hesterno die algorem et horrorem vehementissimum calor intolerabilis sudore copioso conjunctus sit secutus. Pulsus frequens; in utroque uteri latere dolor vehementissimus, et quamquam fundus et pars anterior dolore non vacat, tamen eximius in dextro latere. Fluor genitalium non tam putridus, imminutus. Quibus signis accessit tussicula sicca, quae inflammationem parenchymatis pulmonum aut pleurae minitatur.

Praescribuntur: Venaesectio ℥x, in loco affecto hirud. XXX et fomenta. **Interne:**

℞ Terebinth. laric. ℥℥.
 Gm. mimos. ℥ij.
 Aquae Ceras. ℥v.
 Syr. spl. ℥j.
 M. f. l. a. Emuls. S. Omni hora cochlear unum.

Die vicesimo secundo Januarii.

Umbilicum versus, ubi etiam intumescit abdomen, dolor inflammationem in peritoneum propagatum indicat. Dolores spontanei raro versus genitalia et femor existunt. Algor bis hesterno die se repetivit, sed non tam vehemens, ex quo nihil licet judicare. Pulsus 130 ictus sexagesima horae parte excedit, plenus; cutis humida (quod, si pulsus non moderatur, nihil valet). Partium corporis extremarum superiorum calor diminutus. Inventa est, ut mala ad fastigium cumularentur, degeneratio scirrhusa ad anum, quae jam ante partum aderat. Neque uteri neque urinae secretio tebinthina adaucta est.

Remedia omnino eadem. Vesicans applicetur in regione uterina. Potioni jam heri datum:

Decocti Salep (℥i℥) ℥iv.
 Aquae amygdal. amar. concentr. ℥ij.
 Sacchari ℥j.

Interne hodie:

℞ Infusi Digital. (℥℥) ℥iv.
 Terebinth. larie. ℥j.
 Gm. mimos. ℥ij.
 Syr. spl. ℥j.

M. f. l. a. Emuls. S. Omni hora cochlear
 unum.

Aegrota vespero morte abrepta est.

In dissectione reperta.

In sacco peritonei librae tres materiae puru-
 lentae, saniosae inventae sunt, quae albumen
 continent viride, male olens, quo nonnullae inte-
 stinorum flexurae utero erant agglutinatae. Ova-
 rium lateris dextri focus erat mali; tuba ejus
 triplo vel quadruplo tumefacta, venarum lumen
 dilatatum pure sanioso repletum; etiam tela cel-
 lulosa pampiniformis pus continuit. Tuba
 sinistri lateris nil abnormis praebuit; venae ejus-
 dem lateris profundae etiam pure repletae. In
 orificio uteri externo ulcus aderat.

III. *Historia morbi.*

Wilhelmine Geisel triginta octo annos nata.

Die nono Februarii.

Hesterno die sextum enixa est. Quartum
 puerperium inflammatio gravior secuta dicitur,

quinta aequae atque ultima facile processit. Sed jam a media hac graviditate dolores pungentes, fugaces sinistri lateris aderant, qui finem versus continuo vehementiores ligamentum uteri rotundum sequentes ad pudendorum labium ejusdem lateris expandebantur. Attamen graviditatis tempus expletum, et tantum in partu satis celeri algore exstitit, qui usque ad infantem in lucem proditum perstitit, ubi calor, sitis vehemens, dolores continui rapidi secuti, qui exacerbescentes ad femur propagantur. (Venaesectio et diaeta antiphlogistica jam institutae sunt). Nunc uterus umbilicum tangit, et in dextro latere minus contractus videtur, tactus dolores in superficie anteriore et fundo ejus exacerbescunt, qui in sinistro latere sunt vehementiores. Lochia ubera, sanguine tincta, ulcus nullum, fissura levis in orificio uteri externo adest. Jam a priori tempore tussicula sicca, quae puri in pectore deponendo favere potest. Frons dolore occupatus, vehementi usque ad verticem tendenti, qui non semper consensu, clarissimi *Rokitansky* observatione, affecta lamina ossium cranii vitrea saepe excitatur. Pulsus 181 sexages. horae parte ict., parvus, vehemens; lingua apice sicca. Calor inter octo horas bis algore interruptus.

Adhibeantur: Hirud. XXV in latere uteri sinistro, Frictiones Unguenti Hydrarg. cinerei, Fomenta.

℞ Calomel.

Magnes. carbon. \overline{aa} gr.ij.

Hb. Digital. pulveris. gr.j.

Sacchari albi $\mathfrak{D}\beta$.

D. dos. tal. Nro. xij. S. Omni hora Pulvis.

Die decimo Februarii.

Vespero octavi diei Febr. venaesectio, hesterni tempore matutino in loco affecto hirudines appositae, et vespertino, malo locali febrigue incremente, nova venaesectio decem unciarum adhibita. Sanguis illius venaes. exigua crusta phlogistica obiectus, sed hujus diei matutino tempore copia sanguinis eadem vena emissa crustam exhibet, qui quartam crassamenti partem componit. Sumpti sunt ab aegrota hucusque scrupulus Calomel. et Digitalis dimidius scrupulus, quibus a quinta hora matutina (nunc est undecima) decem sedes liquidiores effectae, quibus urina est admixta, qua ex causa de ejus copia et natura nihil potest addi. Mane etiam XV hirudines in loco affecto sunt positae. Aegrota nunc si surgit dolore vexatur, qui etiam femoris posteriorem faciem occupat. Uterus 1 — $1\frac{1}{2}$ " profundior quam hesterno die,

modo magis aequali est contractus, in anteriore superficie tactus vix sentitur, sed vehementissime in latere sinistro. Tussis imminuta; cephalalgia vehemens, quae metastasi (sic dictae) lacteae (revera nil nisi meningitidi) secundum saturam sagittalem copiam concedere potest. Secretio cutis uberrima, attamen calore fere mordaci; pulsus 120 sexages. horae parte ict. Algor non rediit.

Cura antiphlogistica, secretiones sunt servandae. Vespero, si signa exacerbescunt, venaesectio instituat; nunc loco affecto XII—XVI hirudines. Calomel. portio moderata (sedes Calomelani propriae nondum apparuere).

℞ Calomel. gr. j.

Hb. Digital. pulveris.

Magnes. carbon. \overline{aa} gr. ij.

Sacchari albi \mathfrak{ss} .

Omni hora. Si diarrhae vires consumat, detur:

℞ Infusi Digital. (\mathfrak{ss}) \mathfrak{z} vj.

Mucilag. Salep \mathfrak{z} ij.

Nitri \mathfrak{z} j.

Aquae amygdal. amar. \mathfrak{z} ij.

Sacchari albi \mathfrak{z} j.

M. S. Omni hora cochlear. (Vespero datum est.)

Potiones tepidae mucilaginosae. Cephalalgia si vesperum versus augetur in regione temporali et pone aures (ad emissaria *Santorini*) hirudines

sunt applicandae. Nunc fomenta frigida, humida, sed aqua expressa supra caput ponenda sunt.

Die undecimo Febr.

Cum jam tertia hora postmeridiana cutis secretio minueretur, affectio localis, etsi feбри non exacerbescente, augetur, venaesectio unciar. VI adhibita et XX hircudines appositae sunt. Sanguis jam nullam crustam phlogisticam praebet. Hesterno vespere febris non crevit, atque adeo aegrotae per aliquas horas somnum concessit. Situ quieto in utero dolor nullus, et presso sinistri lateris non tum vehemens. Dolor nervi ischiadici dextri evanuit, sinistri moderatus est. Abdomen collapsum, tegumentis mollibus; uterus non tensus, ejus secretio non turbata. Mammæ lacte turgescunt. Tussis aliquanto adaucta, sicca, vel sputa profert sanguine tincta. Exploratio pectoris nil docet, attamen inflammatio lobularis, interdum paucas lineas occupans, adesse potest, quae quo minus percipiatur, pulmones sani supra extensi impediunt. Cephalalgia moderata, interdum tantum dolor exiguus in sutura sagittali. Pulsus 120 sexages, horae parte ict., mollis, non spasmodicus; urina satis copiosa; cutis humida. Sedes quinque virides. In ore solivationis prodromi.

In loco affecto hirudines apponendae. Fomenta et Frictiones unguenti Hydrargyri cinerei. Antlia ad lac esugendum utendum. Interne repetantur eadem.

Die duodecimo Febr.

Tempore postmeridiano heri refrigeratione, ut verisimile est, cutis secretio cessabat, quae ipsa sensui calore fuit minuto, cui inter septimam vel octavam horam dolor colicus exiguus secundum colon transversum, nocti accrescens cum torminibus, ac borborygmis accessit, quem sedes non amplius stercorosae, sed fluentes, faccium instar secuti sunt (quibus fortasse malum in concoctionis organa transfertur). Pulveris Doweri portiunculis cutis secretio mane restituta. Affectio uterina nullam injicit sollicitudinem; abdomen molle; alvi tegumenta non tensa; uterus magis contractus, mobilis, tactus neququam dolens; simul cessat dolor femoris. Secretio uteri et lactis persistunt. Respiratio nondum a tussi libera, qua sputa interdum sanguine leviter tincta producuntur. Secretionibus suppressis capitis signa accreverant, sed cephalalgia epistaxi orta exigua (2—3 guttarum) cessat.

Lingua humida; sitis moderata; cutis secerens non copiose quidem et sine foetore. Pulsus

100 sexagesima horae part ict., post nonum vel decimum quemque ictum intermittens, quod, si febris per se esset minuta, remediis adhibitis effectum, nunc autem fortasse diarrhoeae proprium videatur ut saepissime in febribus gastricis talis pulsus: caeterum non magni momenti. Urina mucosa mixta, qui fortasse a tunica vaginali mucosa secernitur. Signa hydrargyrosis, salivationis scilicet, non crevere. Externe eadem adhibeantur; secretio lactis servetur. Ad internum usum potio mucosa; praeterea:

℞ Emulsion. oleosae ℥viiij.

Aquae amygd. amar. ℥ij.

M. S. Omni hora cochlear unum.

Die decimo tertio Febr.

Heri vespero nulla mutatio. Somnus aegrotae ab aliis, quae eodem conclavi utuntur, turbatus. Facies non tam rubra, sed serena. Uterus ut hesterno die non dolens, facile mobilis, femur sine dolore. Lochia uberiora et normalia. Lac imminuitur, mammae molliores redditae sunt. Respirationis organa melius sese habent: tussis respiratione profunda humidior facta, in sputis rubiginosis sanguinis vestigia. Caput non calidum, sine dolore. Pulsus 110—20 sexages. horae parte ict., mollis, cura antiphlogistica et

secretionibus, ut accipi potest, frequens factus, Cutis paululum secernens, mollis, calore fere normali; urina non turbida cum sedimentis mucosis. Diarrhoea fere evanescens, cum tenesmo levi adest. Pulsus jam non intermittit. Signa hydrargyri non accrevere.

Cura eadem. Vesperum versus pulvis Doveri dimidius porrigatur.

Die decimo quinto Febr.

Omnis medicamentorum usus jam hesterno die omissus, quum aegrota prunis vesceretur et lac biberet: quo imprudenter facto dolor colicus et novem adhuc sedes secutae sunt. Nunc facies collapsa, pulsus, ut hesterno die, intermittens (diarrhoea sane effectus) hodie satis tranquillus.

Adhibeantur fomenta Chamomillae. Potio mucosa, praeterea

℞ Linimenti ammoniat. ℥j.

Unguent. ciner. ℥℔.

Tr. Opii ʒ℔.

M. S. Omni hora et dimidia infricetur abdomini.

Ad internum usum

℞ Solution. gummos. (℥℔) ℥vj.

Extr. Opii aquos. gr.j.

Syr. spl. ℥j.

M. S. Omni hora cochlear unum.

Die decimo sexto Febr.

Vesperum versus hesterni diei collapsus crevit; respiratio difficilis. Pulsus 120 sexages. horae parte ict. (mane 90) parvus, debilis, filiformis, extremae corporis partes algore fere glaucioso; cutis sudore frigido, viscoso operta. In puerperio jam sine alia affectione diarrhoea profusa post 12—24 horas saepe paralytica redditur. Remedia interdum (heri) sedes sistebant, quae noctu rediere. Pulsus nunc tranquillus, calor aequaliter in corporis partes distributus.

Die decimo septimo Febr.

Quater sedes adhuc secutae, sed signa praevalentia vesperum versus heri sunt moderata. Noctem aegrotata tranquillam peregit. Pulsus parvus, debilis, facile comprimendus, diarrhoea magis stercorosa; abdomen molle, non dolens; dolor colicus nullus, sed in ano tenesmus et ardor.

Cibo aegrotatae porgatur jus e carne gallinaceo paratum vitello ovi; potioni Dec. Althaeae cum Dec. Salep. Praeterea

℞ Dec. Salep ʒss } ʒvj.
 ,, Columbo ʒij }

Tr. Opii spl. gtt. xviii.

Syr. Diacod. ʒj.

M. S. Omni hora cochlear unum.

Die decimo octavo Febr.

Accessit Rheumatismus acutus, qui articulos obsedit, provocatus, ut verisimile, refrigeratione supra memorata, qui etiam telam cellulosa[m] affecit. Status prope idem.

In cura cutis secretio est restituenda.

Aegrota vespero morte abreptus est. In sectione pus in uteri venis sinistri lateris inventum, in articulis nil abnormis. Accuratiorem relationem vide infra finem historiae sequentis.

IV. Historia morbi.

Fr. Repewitz.

Die quinto Martis.

Femina robusta 26 annos agens primum partum enixa, per graviditatem sana fuerat. In partu propter capitis puerilis magnitudinem forceps obstetricia adhibita difficile rem absolvit. Statim post partum venaesectio uberius facta, attamen algor ortus, quem calor perpetuus secutus est, quocum dolor in sinistro uteri latere conjunctus etiam dextrum mox corripuit, interdum remittens, rapiens, femor et abdomen occupans, quare hoc est tumefactum. Nunc jam tres inter duos dies venaesectiones, quaevis unciarum octo, institutae sunt, quibus abdomen molle redditum, attamen in utroque uteri latere levissimo tactu laesum.

Secretiones sunt normales; pulsus 120 sexages. horae parte ict., fortis, non durus, lingua humida. Sedes tres vel quatuor aquosae.

Praescribuntur: nova venaesectio ζ xiv, hirudines in loco affecto X apponendae. In abdomen fricetur unguentum cinereum cum oleo hyoseyami.

In vaginam injiciatur:

℞ Acid. saturnin, ζ j.

Tr. opii ζ β.

Solve duabus aquae libris. Ad internum usum:

℞ Emuls. oleosae ζ viiij.

Aquae amygdal. amar. concentr. ζ ij.

M. S. Omni hora cochlear unum.

Die sexto Martis.

Venaesectio vespero heri repetita et XXX hirudines appositae sunt. Sanguis multum continet seri et crustam phlogisticam. Febris inde moderatior fit; somno complurium horarum aegrotata recreata est. Hodie quum mane dolor sinistri uteri marginis adesset, jam XXX hirudines applicatae, quibus etiam pressu vehementiori evanuit. Abdomen magis collapsum in latus inclinatur. Lingua pura, humida; sitis moderata; sedes duae magis stercorosae. In vaginae exploratione inventum est, forcipe et capite puerili genitalia externa et vaginam laesa esse, quare in

lochiorum fluxu partes gangraenosae deteruntur. Laesiones tales inflammationi forum praebent, cui accedit, quod pus adesse possit, etsi ex signis jam non iudicetur, quod ex casu superiori intelligitur. Prognosis nobis eo peior facta, quod in lectulo sternendo levis horror denuo est ortus. Lac nondum secernitur.

Injiciantur eadem, quibus parva Chlori copia addatur; infricetur Ungu. cinereum cum oleo Hyoseyami. Ad Fomenta sumantur:

℞ Hb. Hyoseyami.

„ Conii \overline{aa} ℥ij.

Fl. Chamomill. ℥vj.

Die octavo Martis.

Die septimo Martis nova venaesectione ℥x, et mane et vespero XXX hirudinibus opus erat, quum mane in sinistro uteri latere dolor vehementissimus et spontaneus adesset. Hodie fere, ut die sexto Martis, abdomen collapsum in latus inclinatur. Partes laesae et gangraenosae remouentur, et ulcera pus bonum secernentia formantur. Lingua humida; sitis non vehemens; facies non collapsa. Pulsus 100 sexages. horae parte ict.; cutis secernens, humida; urina epithelium deponit.

Cura eadem.

Die nono Martis.

Algor se non repetivit, sed hesterno die signa et febrilia et mali localia in latere uteri sinistro accrevere. (Venaes. ζx , vespero XXX hirudines). Hodie cutis humida, in urina sedimentum apparet. In frictionum et fomentorum locis eczema mercuriale ortum est. Diarrhoea nocturna accessit quae periculum minitatur.

Propter diarrhoeam emulsiōni granum dimidium Extr. opii addendum.

Die decimo Martis.

Hesterno vespero XXX adhuc hirudines applicatae sunt. Hodie signa peritonitidis et localia et universalia evanuerē, et uteri affectio moderata est. Somnus non turbatus est; cutis secret; pulsus 108 sexages. horae parte ict. propter debilitatem frequens. Diarrhoea desinit; urinae sedimentum, quum sponte missa tum cathetere prolucita, quod an metastasis criticae sit signum, inter auctores lis est.

Contra salivationem Borax cum Melle despumato porrigatur.

Die undecimo Martis.

Signa localia et febrilia moderata. Diarrhoea hac nocte sese repetivit. Urina pus continet (quod chemica inquisitione constat).

Abdomini infricetur Linimentum volatile cum
Tr. Opii.

Die duodecimo Martis.

Urina interdiu plus sedimenti profert. Salivatio crescit. Praeter vaginae affectionem nisi nisi diarrhoeae medendum est.

Clyster Amylum cum Tr. Opii (gtt. x) infundatur. Potioni Dec. Salep porrigatur; ad internum usum:

℞ Dec. Salep. (gr. xv) ℥vj.

Extr. Opii gr. j.

Alumin. ℥j.

Syr. Diacod. ℥℞.

M. S. Omni bihorio cochlear.

Die decimo quarto Martis ad eundem finem adhibitus Clyster cum Lapidis infernal. gr. ij et Tr. Opii ℥℞, et interne

℞ Plumbi acet. gr. ij.

Opii gr. $\frac{1}{4}$.

Sacchari ℥℞.

Doses X. Omni bihorio pulvis. Praeterea in coli decursum sinapismus angustus appositus.

Die decimo quinto Martis.

Fluor vaginae purulentus adhuc durat, ejus irritabilitas minuta est. Diarrhoea inde ab hesterno die cessat; quod magni erat momenti, quum

tunicæ mucosæ intestini recti pars inferior ex-ulcerationum sedes facta sit. Cutis mollis, modice secernens; pulsus 92 sexages. horæ parte ict., mollis, fortis. In urina mucus flocculentus, sedimentum rubicundum. Salivatio moderata est.

Die decimo sexto Martis.

Abdomen non dolet. Inde a quarta hora matutina (nunc est undecima) sedes nulla, usque ad illud tempus tres magis stercorosæ, cum parva copia mucî gelatinosa, sed tenesmo et dolore levi colon sequenti editæ sunt. Pulsus 96 sexages. horæ parte ictus.

Die decimo nono Martis.

Status melior perdurat; dies superiores nil memoria digni præbebant: medicamenta omissa sunt omnia. Signum rarum et attentione dignissimum erat in recto intestino, cujus initium jam semel vidimus et causam in dissectione cognovimus (vide casum superiorem). Tum in vasis uterinis minoribus, non in plexu pampiniformi, pus inventum, quamquam per plures dies signa tacuerant. In tunica intestini recti mucosa et flexura sigmoidea quales in Dysenteria erant mutationes (a *Rapp* Tubingensi primum demonstratæ); strues enim exerescentiarum fungo similium sanguine tinctarum. Hoc in casu diarrhoea initio exigua eandem mutationem significavit, quum tenesmus

levis et tormina versus coli descensum in os sacrum ea conjuncta, sedes mucosae, albumini coagulato similes essent. Ex quibus censendum, successione esse quandam affectionis ab uterino ad intestinum rectum, quae propter decursum morbi celerrimum nondum observatum est.

Materies gelatinosa nunc, membranae gelatinosae forma (ut in neurophlogoseos exitu) deterritur, quae pro maxima parte fibrina interdum cruore fusco tincta est. Tenesmus cessat, sedes sunt paucae.

Mulier viribus sensim restitutis saluti reddita est.

V. *Historia morbi.*

Wilhelmine Oertlieb.

Die octavo Martis.

Hoc in casu prorupit morbus octavo puerperii die, quum status antea ita erat sanus, ut femina aedem sacram incaute adeundo morbo causam concerserit. Octo ante annos jam semel partum enixa hac in graviditate bene degit. Puer autem mensibus tribus ante partum mortuus vomituritiones tantum, nulla signa localia provocavit. At octavo, ut jam diximus, die prima emergere signa, contra quae venaesectio et hirudines appositae nil effecere. Abdomen nunc tumidum, molle, tres vel quatuor digitos ultra symphysin tumorem ostendit tensiorem, qui in

media parte et in lateribus dolorem, qui pelvim minorem attingit, provocat. Vagina normalis, rectum intestinum pressum utero dolorem provocat. Febris est gravissima.

Venaesectio jam facta est et vesperum versus, dolor ni minuitur, hirudines sunt applicandae. Praeterea fomenta, frictiones etc. jam antea exposita.

Die nono Martis.

Hesterno die mane XXX, vespere XX hirudines applicatae sunt. Signa nunc omnia moderata; localia tantum hodie XXX hirudines desiderare. Abdomen non tumidum, molle, situ quieto dolor fere nullus, quem et in latere posita aegrotata tolerare potest; sinistrum tantum latus vehementius pressum in conjunctione ossis ilei cum osse pubis redolet. Pulsus 110—20 sexages. horae parte ict. Lingua humida, mollis; urina mucoturbata; sedes Calomelane adhibito effectae sunt.

Die decimo Martis.

Inflammationis signa mitigata, inprimis in sinistro uteri margine nunc existunt, ubi suppurationem suspicari possumus. Ad resolutionem assequendam curae antiphlogisticae ratio est retinenda. Inunctiones propter salivationis signa omittuntur. Mixt. oleosae addatur Natri carbon. aciduli scrupulus.

Die undecimo Martis.

Heri vespere hirudines XX appositae sunt. Tumor sinistri lateris eo magis prominet, quam dextri collapsus est, sed non valde redolet. Fomenta; dolore aucto, hirudines.

Die duodecimo Martis.

Diarrhoea incidit vehemens, contra quam eadem cura ut supra (vide historiam proximam) est instituenda.

Die decimo quinto Martis.


Tumor pomi magnitudine, qui per vaginae fornicem tangi poterat, evanuit, dum die decimo tertio hirudinibus adhuc opus erat. Diarrhoea remediis adhibitis stetit. Pulsus 82 sexages. horae parte ict.; cutis humida; urina copiosa cum sedimento mucoso. Signa salivationis et eczematis mercurialis cedunt.


Die decimo sexto Martis.

Genitalia eodem statu. Hesterno die sedes una sine tenesmo quinta hora edita, quae clystere et potione aluminata adhibita se non repetivit. Urinae sedimentum perseverat; cutis humida; pulsus satis frequens. Signa salivationis moderata.

Morbo decrecente in excrementis materiae flocculosae ut post dysenteriam inventae sunt; alvus autem mox ita obstipata, ut clystere solvente opus esset.

Mulier ex nosocomio plane restituta dimissa est.





Heri
Tumor si
dextri col
menta; de

Diarrh
eadem cur
est institu

Tumor
fornicem t
tertio hiru
remediis a
rae parte
sedimento
tis mercuri

Genital
una sine te
et potione
Urinae sedi
sus satis fr
Morbo
flocculosae
alvus autem
vente opus
Mulier e

decimo Martis.

dines XX appositae sunt.
eo magis prominet, quam
ed non valde redolet. Fo-
hirudines.

decimo Martis.

vehemens, contra quam
(vide historiam proximam)

quinto Martis.

itudine, qui per vaginae
evanuit, dum die decimo
ne opus erat. Diarrhoea
Pulsus 82 sexages. ho-
amida; urina copiosa cum
na salivationis et eczema-

sexto Martis.

atu. Hesterno die sedes
hora edita, quae clystere
dhibita se non repetivit.
everat; cutis humida; pul-
gna salivationis moderata.
in excrementis materiae
senteriam inventae sunt;
bstipata, ut clystere sol-
plane restituta dimissa est.

